UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli Neapol. Societ. Iesv

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1620

Ratio commendandi se beatißimæ Dei genitriciti tum mane, tum vesperi, numer. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60948

Visual Library

Euchariſtiam poſt filij in cœlum Aſcenſionem ſumebat. Denique augmentum deuotionis, & affectus erga eandem ſanctiſſimam Virginem. Hęc autem beneficia per ſeptem eius gaudia, doloresque totidem peram, quibus eſt affecta, dum in terris viueret. finem denique faciam ipſius benedictionem rogando illis verbis: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen.*

VESPERI ANTE CVBITVM ad eandem ſanctiſſimam Virginem Dei Genitricem.

Ratio cōmendandi ſe Virgini ante cubitum.

PATER noſter, Aue Maria. Deinde ſequens, vel alia precatio. Hæc verò deſumpta eſt ex Officio paruo Beatæ Virginis.

Offic. Eccl.

O Maria Dei Genitrix Virgo gratioſa omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera per illud magnum gaudium, quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe, ſis conſolatrix anima mea, & apud eundem tuum, ac Dei natum Vnigenitum in die nouiſſimo, quando cum anima, & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare, vt perpetua

tuæ damnationis ſententiam per te pia Mater & Virgo valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia fœliciter peruenire. Amen.

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta. Offic. Eccl.

Maria mater gratiæ.
Mater miſericordiæ.

Vt ſupra:

Deinde gratias agere, offerre, & petere debemus.

II.
DEIPARA SALVTANDA in ingreſſu, & egreſſu è domo.

10 AD alterum priuatarum precum caput facit, vt antequàm Domo quis egrediatur Virgini Beatiſſimæ, veluti peculiari ſuæ Dominæ in cubiculo coram eius Imagine ſe ſuaque negotia peragenda commendet; ac ſub eius ampliſſimo pallio, hoc eſt peculiari patrocinio, tantiſper cogitatione ſe ſiſtat, eoque munitus præſidio contra varias hoſtiũ tum viſibilium, tum inuiſibilium inſidias, quæ plurimæ paſſim occurrunt,

B. Virgo ſalutãda, cùm ingredimur, vel è domo egredimur.